



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio V. Noëmus cum arca & vinea sua pulcherrimus tyups fuit
Christi Jesu crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO V.

Noëmus cum arca & vinea sua pulcher-
rimus typus fuit Christi JESU crucifixi.

*Iste consolabitur nos, ab operibus & laboribus manuum
nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. Gen. 5. 29.*

I.

ITa quondam in prima mundi ætate Lamech de filio suo Noëmo, cum in lucem nasceretur, vaticinatus est: *Iste Consolabitur nos. Gen. 5. 29.* Enim verò consolatus est Noë universum genus humanum, dum post Adamum secundus Pater omnium hominum factus est, quia ab eo omnes descendimus: *Consolatus est nos*, dum arcam ante diluvium præparavit, in qua salvaretur genus humanum: *Consolatus est nos*, quia propter illius sanctitatem, justitiam & oblatum sacrificium DEUS de novo benedixit universæ terræ, quæ antea erat maledicta: *Consolatus est nos*, quia artem faciliorem & instrumenta agriculturæ magis commoda colendi agros invenit, ex quo factum est, quòd terra uberiores progerminaret fructus: *Consolatus est nos*, plantans post diluvium vites, & adinveniens vinum, quod est solatium cordis humani, si bene adhibetur, panis enim confirmat, & vinum lætificat cor *Psal. 103. 15.* hominis: *Consolatus est nos*, quia ex eo suo tempore natus est Messias, Christus DEUS noster, qui vera nostra est consolatio, salus & vita. Fuit proinde Noë pulcherrimus typus Christi Domini, piëntissimi Reparatoris nostri, qui per crucem suam omnia restauravit, & restituit in integrum, quod pluribus impræsentiarum demonstrabimus.

2. Ubi omnis caro corruerat viam suam, & nunc anno à creatione mundi 1656. mensura peccatorum erat adimpleta, statuit justissimus DEUS per diluvium delere terrarum orbem universum, in quem finem præcepit Noëmo: *Fac tibi arcam de lignis levigatis &c. Qui ergo Gen. 6. 14.* appropinquante diluvio hanc arcam ingressi sunt, illi erant salvati, cæteri verò omnes in illo cataclysmo miserrimè perierunt, proinde rectè huic arce Noëmicæ pro lemmate inscribes: *Nulla salus extra.* Per
Ginther Unus pro omnibus. C hanc

S. Cyrill. Ale.
& S. Thom. in
Genes. c. 6.

hanc arcam Noëmicam S. Cyrillus Alexandrinus & plures alii SS. Patrum Crucem Dominicam subaudiunt: *Crux, inquit, est arca, per quam salvamur à diluvio inundantis aqua vitiorum, & S. Thomas: Arca Noë, inquit, est Crux Christi &c.* Quibus SS. Patribus consentit universa Ecclesia Catholica, quæ in hymno de Sancta Cruce ita cantate affolet: *Sola digna tu fuisti, ferre mundi victimam, atque portum præparare Arca mundo naufrago: quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.* Et quid dico? Imò longo, longissimo intervallo SS. Crux Dominica Arcae Noëmicæ præferenda est, quia in illa paucæ tantum, id est octo personæ fuerunt salvatæ, sed per sanctam crucem orbis redemptus est universus. Juvat hinc audire Poëtam Christianum:

*Arca Noë cedat: Crux est nunc arca salutis,
Illa salus paucis: pluribus ista fuit.*

Gen. 8. 28.

3. Noë terminato diluvio, quod solari anno ferè integro duraverat, egressus de arca in campo patenti altare erexit, in quo DEO T. O. M. in signum debitæ observantiæ & gratitudinis munda obtulit sacrificia & holocausta: *Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundanis obtulit holocausta super altare &c.* Et quid sequitur? *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terra propter homines &c.* Et quare hoc? Cur illud Noëmi sacrificium tantoperè placuit Divinæ Majestati?

S. Ambros. 1.
de Spiritu S.
& S. Gregor
hom. 22. in
Ezechiel.

4. S. Ambrosius, S. Gregorius M. & alii SS. Patrum, quia per altare Noëmi Crux Dominica, & per holocaustum adeò odorificum ipse Christus Dominus & hic Crucifixus præsignatus fuit, cujus intuitu jam tunc temporum intervallo Pater cœlestis universo mundo impotenter placabilem se fore promisit: *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicuti feci &c.* O quale hoc miseris mortalibus debet esse solatium, si ad hoc cruentum propitiationis holocaustum & crucis altare in necessitatibus suis confugiunt: *Crux, inquit Sandæus, fuit ara summi Sacerdotis, quippe in ea Christus, dignissima hostia, sacrificatus fuit; Et S. Fulgentius: Quid, ait, sibi vult ara constructa, nisi crux in monte porrecta? Crux enim altare fuit totius mundi.* Sed pergamus ulterius.

Max. Sand. in
Stauroph. cir-
ca finem.
S. Fulg. in Ser.
de Abrah.

4. Primus post diluvium terram ab aquarum colluvie siccitam colere & exercere cepit Noë Patriarcha, mundi que restaurator; & quia prius non tanta adhuc vitis habebatur cura, sed inculta ac sylvestris hinc inde in agris sparsa inventa est, ex qua homines non vinum exprimere, sed tantum uvæ colligere & manducare consueverant, ideo Noë primus omnium vineam invenit, quam sedulo coluit labore, & in sua divisit vinea. Et ecce dum de uvæ recentibus in torculari vi-

num

num exprimit, atque largiùs utpote labore fessus de illo bibit, ignorans tantam inesse huic recenti musto virtutem, ex eo inebriatus, nudatus, & à proprio filio Cham protervè & petulanter illusus est: *Cœpit* Gen. 9. 20: *Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est. & nudatus in tabernaculo suo; quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verendi scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foràs. At verò Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui &c.*

En rursus insignem typum: Per Noë, qui suo nomine *Quietem* seu *Requiem* significat, Christus melioris mundi Reparator in cruce quiescens præfiguratus est, qui non dumtaxat mundum universum peccatorum fluctibus submersum per arcam S. Crucis suæ ab interitu conservavit, sed & vineam electam, id est, Ecclesiam magno & indefesso labore plantavit, illamque in pulcherrima vineta & ordines distribuit. Verùm quid accidit? Cùm post tot exantlatos labores in sua vinea calicem passionis largiùs, & præ nimio patiendi desiderio usque ad fecem ebiberet, ex eo inebriatus amore, vestibùsque nudatus à propriis & ingratis filiis illusus & irrisus est. Audi Mallonium eleganter ad propositum nostrum de utroque Noëmo & Typico & vero differentem: *Noë*, Mallonius de S. Sindon, c. 6. n. 11. *inquit, arcã mundum servat, Christus cruce mundum redimit; Noë vineam plantat, Christus Ecclesiam; Noë vino ebrius dormit, Christus amore saucius dormit; Ille in tabernaculo, hic in Cruce; Ille nudus, hic nudus; Nuditatem Noë ridet Cham, nuditatem Christi ridet Gentes, Christus enim Judais scandalum, Gentibus stultitia. Sed Japhet & Sem verenda patris tegunt, Christiani Christi crucem & opprobria adorantes honorant. Dum ea agerentur dormiebat Noë, sed postea è somno expergescens benedixit Sem & Japhet, maledixit Chav; ita Christus in fine mundi, quasi potens crapulatus à vino excitabitur, benedicetque filiis suis, at eos, qui ejus nuditatem ignominiiis persecuti sunt, percutiet in posteriora, opprobrium sempiternum dabit eos. &c.*

5. O bone DEUS! quàm multi ejusmodi ingratiissimi Chami sunt etiamnum reperiendi, qui vitã & moribus Christum Crucifixum ludunt & subsannant. Audi justissimas pientissimi Redemptoris tui in cruce pro te morientis querelas, quomodo inter dolores omnes, quos tui causã & amore sustinuit, nullus majori cruciatu ipsum afficiat quàm tua ingratitude: *O homo!* clamat ad te de cruce, *vide, qua pro te* S. Bernh. citatus à V. P. Caraffa in Fascic. Myrrh. 1. 3. Cunf. 2. *patior: Non est dolor, sicut quo crucior; ad te clamo, qui pro te morior: vide penas, quibus afficio, vide clavos, quibus confodior. Cùm sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior &c.* Ita S. Bernhardus in persona Christi.

Max. Sandæ-
us in Stau-
roph. lib. 45.
tit. 12.

Anno Christi 1620. in festo S. Thomæ Ap. in pago Rauttenberg in Episcopatu Hildesheimensi nonnulli Acatholici in cœmiterio jaculatoriam exercebant, ubi Crucifixi Salvatoris imago pro epithaphio ex veteri Catholicorum more pendebat; inter quos Prædicantis filius, cui Bodo nomen, velut alter Chamus brachium dextrum Crucifixi glande plumbeâ petulanter trajicit, ex quo mox copiosus sanguis etiam ad terrorem hæreticorum, qui hoc prodigium nullo modo suppressere poterant, emanare cœpit, quæ sacra icon postea ab Illustrissimo Comite Tillio Imperatorii exercitûs Duce in arcem Sturvaldensem, ubi etiamnum ob tanti prodigii memoriam piè asservatur, translata est.

Vides ex hoc, Lector prudens, quomodo hæretici, velut alter Chamus, nuditatem patris sui in cruce rideant, illudant & subânnent. O quàm bene de ejusmodi malis & falsis Christianis Apostolus effatus est: *Multi, inquit, ambulat, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum DEUS venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Nos autem non sic, animæ Christianæ & Catholice, nos, inquam, non sic agamus, sed imitemur potiùs Sem & Japhet, qui nuditatem patris sui velamentò tegebant, illumque pro viribus honorabant, & ideò largissimam benedictionem reportabant: *Benedictus Dominus Deus Sem; sit Chanaan servus ejus; dilate Deus Japhet &c. Sitque Chanaan servus ejus, &c.*



CONSIDERATIO VI.

Ramus olivæ, quem columba cessante diluvio ad Noëmum tulit, typus & Symbolum SS. Crucis.

Et illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Gen. 8. 11.

Minutis sensim post annum ferè solarem diluvii aquis, & finito tandem universali diluvio, ubi arca Noëmica super montes Armeniæ primò requiescere cœpit, Noë Patriarcharum decus, corvum ex superiori arca fenestra, qui exploraret aquas,